



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii**

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

**Maffei, Pietro Antonio**

**Augsburg ; Regensburg, 1740**

**VD18 80488153**

Pro die prima Meditatio secunda. De fine hominis ad statum Ecclesiasticum vocati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

## Dies Prima

## Meditatio Secunda.

De fine hominis ad statum Ecclesiasticum vocati.

**P**ost consuetam orationem præparatoriam sequentia duo præludia meditationi præmittes.

Imaginare tibi Deum in sua Ecclesia varia distribuere officia, & gradus honorum, unum altero sublimiorem: vult enim in hac sua Ecclesiastica Hierarchia esse subditos & superiores, qui imperent, & qui obediant: seligere proin aliquos ex toto fidelium numero, quos variis privilegiis & prærogativis affectos supra Laicorum vulgus evehat, & in altioribus dignitatum gradibus, Sacramento Ordinis competentibus constituat; his characterem imprimat indelebilem; hos in varias classes dividat; his varia officia, ac ministeria demandet, omnia Sancta, & Sacrosancta, inter se tamen connexa, & unum alteri subordinatum eo ferè modo, quo in Hierarchia cœlesti exactissima inter Angelicos Spiritus observatur subordinatio.

In

In 2. pete à Deo lumen ad cognoscendum finem, ob quem à Deo vocatus es ad statum Ecclesiasticum; pete gratiam, ut tam sublimi statui ac fini ex æquo respondere & satisfacere possis: exhortare temetipsum verbis illis, quibus suum Timotheum olim hortabatur Paulus 1. ad Timoth. c. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi in impositione manuum presbyterii.* Et hæc pariter sit oratio jaculatoria, qua hodie utaris. Divide meditationem in hæc tria puncta, quis sit Ecclesiastici status finis 2. quanta hujus sublimitas. 3. quæ media?

### Punctum Primum.

Considera duplicem finem, quem tibi præfigere debes, quando in statu Ecclesiastico te Deo devoves. Audi Paulum Apostolum ad Hebræos c. 5. de Sacerdotio, & aliis inferioribus huic subordinatis Ordinibus ita scribentem. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum.* En duos Ecclesiasticis præfixos fines; unus Deum, alter proximum respicit. Primum negotium, cui manus admoveere Ecclesiasticus debet, est obsequium & cultus Dei: *In iis, quæ sunt ad Deum.* Secundum, ut Proximum juvet: *pro hominibus.*

1. DEUS te vocavit ad statum Ecclesiasticum, ut Deo servires *in iis, quæ sunt ad Deum*, nempe ut Deum laudes decantandò, vel recitandò psalmos, alias preces fundendò, sacrificium incruentum offerendò, &  
aliis

aliis functionibus sacris invigilandô. An hunc tibi scopum & finem proposuisti statim ab initio, quando Ecclesiasticæ militiæ nomen dedisti? fortassis te movit desiderium commodioris vitæ, aviditas lucri temporalis te & tuos ditandi, spes consequendi pinguis beneficii, assurgendi altius, ad dignitatem Ecclesiasticam eluctandi, & aliis te inferioribus imperitandi, vel quodcunque aliud motivum vanum, terrenum & mundanum? O vir Ecclesiastice! si tam viles causæ te moverunt ad suscipiendos sacros Ordines, altiores & meliores sint, quæ te moveant ad progrediendum, & perseverandum in tuo statu sacro. Rejicitur à Christo juvenis ille, qui se offerebat ad sequendum, quocunque præiturus esset, non aliam ob causam, quàm quòd finis, quem spectabat hæc generosa sequelæ promissio, erat prava intentione vitiatum, ut observat S. Augustinus Serm. 7. de verbis Domini, avaritiâ nimirum & ambitione: avaritiâ quidem cum videret largas elemosynas à fidelibus offerri Christi discipulis & Apostolis; ambitione verò, dum vidit varia patrari prodigia à Christi sequacibus, cum tanto applausu, & admiratione patrantium. Si quidem conscientia tua te similis erroris accuset, & convincat, in electione vitæ Clericalis, ut hunc emendes, ita Deum tuum alloquere: O Domine, multò libentissimè etiam in hoc statu

sta u meo Ecclesiastico vitam ducam pauper-  
rimam, ab omnibus despectus & neglectus:  
totus meus thesaurus erit gratia tua; gloria,  
& honor meus maximus erit, quòd me in  
tuum servitium, in numerum fidorum ser-  
vorum, imò familiarium & intimorum ami-  
corum, ad ipsas sacras aras admiseris.

Sed quomodo hætenus huic tuo finì,  
tibi à Deo præfixo, dum te ad Clericalem  
statum vocavit, respondisti? quomodo quo-  
tidianum pensum precum Canoniarum  
persolvisti? quomodo incruentum sacrifi-  
cium Deo ad aram obtulisti? quo fervore,  
decore, animi præsentia, attentione inter-  
nâ & externâ reliquas tuas functiones Ec-  
clesiasticas absolvisti? Cùm in choro psal-  
leres, vel ad aram caneres, cùm publicas  
processiones duceres, mortuos ad sepul-  
chrum comitareris, vel Sacramenta admi-  
nistrares, quâ id egisti intentione, ratione,  
modo? habes cur meritò erubescas, si impi-  
os, sacrilegos, sacrorum ministeriorum pro-  
phanatores Heli filios hac ex parte imitatus  
es; *Filii Heli, filii Belial, nescientes dominum, ne-  
que officium Sacerdotale.* 1. Reg. c. 2. pari cum  
ipsis pcena dignus, vitâ & Sacerdotiò pari-  
ter privandus esses, sed immensa Dei boni-  
tas te hucusque toleravit, tibi que hoc Sa-  
crorum exercitiorum tempus benignè indul-  
sit, quo commodè uti possis ad mutandam  
vitam, & vitæ methodum. Cave impo-  
sterum, ne illis annumerari debeas Clericis,  
de

de quibus divus Prosper non sine lachrymis conquestus est, quòd ad sacerdotium aspirent & indeptò utantur; *non ut meliores, sed ut ditiores, non ut sanctiores sed ut honoratiores sint.* Lib. de vita contemplat, c. 21.

2. Secundus finis, quem tibi Deus ad presbyteri dignitatem te evehens, præfixit, concernit utilitatem spiritualem proximi: *omnis Pontifex pro hominibus constituitur.* Ita ad Aaronem, & in Aarone ad omnem Sacerdotem dictum est: *Elegit ipsum ab omni vivente offerre sacrificium DEO, & placare pro populo.* Non enim satis est per tuas Sacerdotales functiones Deum colere, sed insuper exigitur, ut proximi salutem promoveas administrandò Sacramenta, prædicandò verbum divinum, explicandò rudibus doctrinam catechetica, sive Christianam, suggerendò bona consilia; dubios dirigendò, omnibus præclarò illibatæ vitæ exemplo prælucendò, & pro omnibus sæpiùs divinam hostiam offerendò. Finis iste sublimissimus, ad quem te præelegit benignitas Salvatoris nostri Jesu Christi, sapit divini aliquid, divò Dionysio Areopagita Judice, censente *divinorum omnium divinissimum esse, cooperari Deo in salutem animarum.* Electus & evectus es ad eam dignitatem, ut Dei adjutor, & aptum in Dei manibus instrumentum sis ad salvandos populos; *Dei adjutores sumus* scribit Paulus ad suos Corinthios I. c. 3. sed instrumentum, nisi causæ suæ principali arctè sit

CON-

conjunctum, nunquam concurrere poterit ad producendum effectum desideratum; scalprum, nisi manibus artifex arctè stringat sed extra has in scamno jaceat otiosum, nunquam ex ligno vel lapide extundet statuam. Et tu, nisi Dei manibus hæreas & regaris, qui prima & principalis causa est omnis sanctificationis, & sanctitatis, nisi Deo sis unitus per gratiam, & charitatem, nunquam eris instrumentum aptum ad convertendos ad Deum homines, nec vivas elegantésque illas unquam ex nodosis truncis, vel duris lapidibus exsculpes statuas, quæ in ornamentum perpetuum in cœlesti aula collocentur.

Miserum te, si ad eum honorem elevatus, ut esses instrumentum Dei, potius instrumentum diaboli esse voluisti: tuum erat officium monstrare animabus viam salutis, & per hanc illas ducere; & tu ostendisti, & præivisti illis viam perditionis: debebas illis recludere januam Paradyfi, & tu ipsis aperuisti bipatentes orci portas. Quoties illis fuisti petra scandali, & causa perditionis lenitate doctrinæ, & longè magis vitæ dissolutis ac perversis moribus, in omnem audaciam, & effrænem libertatem effusis verbis, & factis, pessimis exemplis, & pejoribus consiliis. Debes Deo anmas complures, præsertim tuæ custodiæ, & curæ commissas, quas ex ipsius DEI sinu avulsi, dæmoni authorâsti, & forsân non una ex his in infer-

D

ni

ni barathrum detrusa; jam nunc clamat & petit vindictam contra te. Si ille, qui alteri furatur, vel aufert aliquid ex bonis fortunæ, vel famæ, omni jure obstringitur ad restitutionem, & resarciendum damnum, tu, qui abstulisti, & furatus es animabus Deum, & Deo animas, tibi persuadebis, te non obstringi ad restitutionem, vel ad resarcienda tam enormia damna?

### Punctum secundum.

Considera summam dignitatem sacerdotalis statûs, ad quem à Deo vocatus es, vîcujus sacerdos particeps redditur excellentium privilegiorum, virginæ Christi Matri concessorum; deinde etiam prærogativarum & proprietatum ipsimet divinitati competentium. Primæ concernunt potestatem in Corpus Christi physicum; secundæ potestatem in Corpus Christi Myisticum.

I. Potestas per consecrationem sacerdoti collata in Corpus Christi physicum, hunc B. Virgini, & Matri Christi similem facit: hæc quinque illis verbis: *fiat mihi secundum verbum tuum*, Verbum æternum è sinu divini Patris in virginelem suum uterum detraxit: sacerdos quinque illis operatoriis verbis: *hoc est enim corpus meum* è cælo Dei Filium in suas manus descendere cogit, illum subinde in ipsa viscera recepturus. Mariæ operâ effectum est, ut Deus carne vestitus oculis cerni



cerni posset: fecit ut Deus inter homines videretur, ait S. Ambros. de obitu Theodos. sacerdos facit ut Deus speciebus Eucharisticis tectus, se nobis præbeat visibilem. Si virginea Mater, ut complures Theologi docent, tanquam causa activa concurrat & influxit in productionem Christi Dei hominis, & ut alii volunt, in ipsam etiam unionem hypostaticam verbi Divini cum sacrosancta Humanitate redemptoris; sacerdos similiter juxta complurium Theologorum opinionem tanquam causa efficiens concurrat in reproductionem Christi, & illius qualiscunque connexionis, quam Christus habet cum speciebus Eucharisticis. Imò sacerdotis prærogativæ videntur certò modò superare prærogativas Divinæ matris; sacerdos enim sæpius, & diètim facit, quod virgo non nisi semel fecit: Maria vi solorum suorum verborum non concurrat ut causa effectrix in productionem Christi, prout tamen concurrat sacerdos. Christus materno in utero nutriebatur virgineo Mariæ sanguine: in manibus sacerdotis fit hujus, & aliorum cibus cælicus & Angelicus. Mariæ obediebat verbum incarnatum, dum adhuc versabatur in terris, mortalis adhuc filius familias, ac subditus, qui necdum suam Majestatem, & divinitatem mundo palàm fecerat ac demonstraverat; sacerdoti nunc obedit jam immortalis, pati nescius, gloriosus, pro Deo agnitus, & adoratus in cælo, terra, &

inferno: auditis consecrationis verbis sine mora se in sacerdotis manus demittit Majestas Divina, seque præsentem sistit in omnibus consecratis panis buccellis à sacerdote animo designatis: his inclusus se totum arbitrio sacerdotis permittit, nunc elevandum, nunc deprimendum, nunc variis crucibus signandum, nunc herothecis includendum, nunc in sacra synaxi distribuendum. Sed quod summè admirandum, potestas hæc conceditur, non tantum probis sacerdotibus, sed etiam improbis, impiis, peccato mortali obstrictis, Dei inimicis, sacerdotibus, qui dum ipsum sacrum Mysterium peragunt, & sacrilegis contrectant manibus, conspurcant altaria, & abominandis contumeliis Deum afficiunt, ipsò tremendò Mysteriò ad turpissimos fines ordinando, & impiè abutendò. O ineffabilem dignitatis sacerdotalis excellentiam! ad quam te Deus evexit: tu itaque obstringeris, ad imitandas, & presso pede sequendas excellentissimas divæ Virginis virtutes omnes, imprimis verò, ejus humilitatem, profundissimam animi demissionem, & omnis labis expertem puritatem, cum ipsamet humilitate placuerit, virginitate conceperit.

2. Potestas sacerdoti in corpus Christi mysticum, quod sunt fideles, à Deo concessa, ipsi Deo eum facit similem. Sacerdotes in lege Mosaica sapissimè & in variis Scripturæ locis, præsertim in Exodo cap. 21.

&

& 22. vocabantur *Dii*, non alia de causa, quàm quòd prodromi & figuræ essent sacerdotum novæ legis. De Melchisedech rege Salem, qui Deo sacrificium panis & vini offerebat, ait Apostolus ad Hebræos c. 7. *assimilatus est Filio Dei.* Quantò magis tam excelsus titulus competit nostri ævi sacerdotibus in lege gratiæ, quàm illis in lege Mosaica, vel naturæ: illis à Deo concessa est potestas vera & illimitata remittendi peccata: *quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Marc. 2. Murmurabant olim pharisæi, scandalum sibi fumen es, cùm viderent, à Salvatore peccatores à contractis peccatis absolvi. Sed hanc supremam potestatem delegavit Christus omnibus sacerdotibus, cum indubitata promissione, se ratum habiturum in cœlis, quidquid ipsi judicassent, absolvissent, vel ligassent in terris. Sacramentorum formulæ semper veritati consonæ, sunt signa practica, operantur id, quod significant. Hinc quamprimum sacerdos pœnitentem his verbis alloquitur: *Ego te absolvo*, mox omnibus expeditur peccatorum laqueis, modò nullum obstaculum ponat ipse reus: in ictu oculi mutatur ex teterrimo dæmone, in pulcherrimum Angelum. Stupenda auctoritas sacerdotalis, cui tanta potestas concessa est, quæ aliàs soli Deo congruit! Quis unquam ex principibus huius mundi tantam potestatem etiam dilectissimo, & fidissimo ex suis aulicis contulit, ut omnium rerum arbiter,

pro suo libitu disponderet de omnibus & singulis regni sui negotiis, si ageretur etiam de suo principis honore, bono nomine ac fama, de offensis, & delictis gravissimis, etiam de criminibus læsæ Majestatis? Perpende igitur, quanta, quam sublimis sit dignitas, ad quam te vocavit, & exaltavit Deus. Ah cave, ne unquam prostituas, & conspurces tam splendidæ dignitatis sublimem gradum, ut opportunè monet S. Leo serm. de Nativ. Domini: *divinæ consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.*

### Punctum tertium.

Considera media, quæ Deus tibi subministrat, ut tibi ad manum sint ad consequendum altissimum finem Ecclesiasticis constitutum, & implendam strictam obligationem hinc ortam reddendi exactam de his omnibus rationem.

I. Ministeria sacra & functiones tuæ omnes media sunt, ut ad insignem probitatem morum, & sanctitatem elucteris, & ita Dei gloriam, & proximi salutem procures. Status Clericalis sibi annexam habet obligationem sæpius per exhomologesin expiandi animam, sæpius adeundi sacram Synaxin, vel ad aram faciendi; frequentius & diutius orationibus insistendi; pios libros lectitandi, aliis prælucendi bono exemplò, pra-

VOS

vos socios, & periculosas societates caute fugiendi. His annumeretur vigil superiorum Ecclesiasticorum oculus supra clericos subditos; addantur sacri Canones, præcipue *de vita & honestate clericorum*: statuta & decreta synodalia; studium litterarum perpetuum, per quod fugatur otium, & his immerfus animus facile à pravis cogitationibus, aliisque peccatorum illicitis avertitur: vestitus modestus & decens, votum castitatis, horarum Canonicarum recitatio præcepta, largitio eleemosynarum ex illis, quæ superflua sunt, & ultra congruam, statuique tuo convenientem sustentationem abundant.

Edic: quomodo hucusque his mediis præstantissimis usus es? quem profectum seu fructum ex horum usu retulisti? ex tot gratiis tibi concessis hauisti, quæ inter sæculares distributæ fructum centuplum protulissent? enumera, profer fructus collectos ex lectione tot librorum piorum, ex auditione tot concionum, ex recitatione toties iterata horarum Canonicarum, aliarumque precum persolutione: ex tot sacrificiis celebratis, ex tot fraternis correptionibus vel acceptis à superioribus, vel inferioribus à te datis! quàm grande scandalum non erat hoc sæcularibus, quàm turpis ingratitude erga Deum! eò gravior fuit culpa tua, quò majores fuerunt gratiæ tibi concessæ, quò plura media tibi subministrata, quò sanctiores tuæ functiones; quò strictior tua obligatio: *Nul-*

lum majus præjudicium ab aliis, quàm à sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correptionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui peccata compefcere debuimus: ita loquitur S. Greg. hom. 17. Jure Deus conqueritur Psal. 45. his verbis: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu verò homo unanims, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos &c.* Si homo sæcularis, mundo addictus, & amicus peccat; viro Ecclesiastico comparatus, minus, imò vix peccare censendus, & commiseratione potius, quàm pœnâ dignus esse videtur: quin sæcularis errorem suum facile excusat, & culpam elevat, hanc in pravum exemplum, quo Ecclesiasticus sibi prævit conjiciens: sic Jerem. c. 3. se exculpat Israël: *Justificavit animam suam aversatrix Israël comparatione prævaricantis Judæ.*

2. Hinc facile colliges, quàm districtam rationem à te de omnibus tuis culpis, & defectibus Divinus Judex sit exacturus. In more positum habet hic Judex, multum exigere ab illo, qui multum accepit; *cui multum datum est, multum requiratur ab eo.* Nadab, & Abiud recens inaugurati sacerdotes levitico suo officio initium facturi, thuribulo suo imponunt ignem prophanum, non sacrum, & à Deo institutum; & subitanea morte puniti corruunt ob hunc unum contra ceremonias in lege Mosaica præscriptas, à novitiis his sacerdotibus admissum defectum:

tum: Oza pariter non aliud ob delictum in-  
expectatâ morte sublatus est, quàm quòd  
Arcam testamenti titubantem & in lapsum  
pronam temerè, & minore quàm decebat,  
reverentiâ, extensis manibus contrectave-  
rit, & sustentaverit: si hæc divinæ severita-  
tis exempla tibi justum incutiunt metum,  
quantò majorem & justiore tibi incutere  
debet, ne furor Domini contra te exarde-  
scat, si sacros ritus præscriptos, & præcep-  
tos non tantùm irreverenter negligas, sed  
etiam contempnas in sacris ministeriis; si in  
thuribulo cordis tui non prophanum tan-  
tummodo, & vanum ignem, sed foetentes  
concupiscentiæ & cupidinis flammæ ad sa-  
crum altare offeras? Est, est, cur meritò  
metuas, ne Deus in te compleat, horren-  
das illas minas, quas apud Malachiam pro-  
phetam c. 2. fulminavit in omnes sacerdo-  
tes, qui sacra prophanarent, & indignè  
tractarent: *Maledicam benedictionibus vestris, &  
dispergam super vultum vestrum stercus solemnita-  
rum vestrarum.* Veniam pete, tibi que à Deo  
ignosci roga, quidquid contra reverentiam,  
sacrorum ministeriorum excellentiæ debitam  
admisisti, vel omisisti, simulque tibi gratiam  
uberem deposce in posterum ardentius &  
diligentius, prout vocationis tuæ sublimitas  
exigit, Deo serviendi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui me  
peccatorem sacris altaribus adstare voluisti,  
& sancti nominis tui laudare potentiam,

concede propitius meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ Majestati dignè merear famulari per Christum Dominum nostrum.

## *Dies secunda*

### Meditatio tertia.

*De gravitate peccati mortalis.*

**U**T finem tam creationis quàm vocationis consequaris, necessarium est, peccatorum obstacula è medio tollere: ob quam causam hodie sequentes meditationes assignantur.

Præmissæ orationi præparatoriæ consueta hæc duo præludia subjunges.

In primo imaginare tibi animam prævaricatricem tot catenis, quot peccatis à dæmone constrictam, hujus miserabile mancipium ab hoc tyranno cruento ad marginem usque infernalis barathri raptari: Deum illam contueri ut inimicam; ipsam verò enervem, & omnibus viribus ad rumpenda vincula necessariis destitutam hæere attonitam.

In secundo: instā & ora Deum, ut suum tibi lumen concedat, quo illustratus gravitatem peccati mortalis ritè ponderes & agnoscas, ut det oculis tuis lachrymas, queis peccata tua amarè defleas; vires manibus  
ad